Ivar Stub

De orthographia orationis


1592

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

47,- 81

LN 1543
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

DE ORTHOGRAPHIA ORAtionis *Eruditæ & Latinæ,*

47. - 81.

THESES

DISPVTANDÆ DIE 29. IANVARII, PRÆSIDE M. IVARO STVBBÆO, Profeſſore Pædagog.

Reſpondente,

LAGONE CHRISTIANO RIPENSI.

Andreas Joannis Halsius. Anno 1656. die 14. Maji.

Qvintilianus lib. 1. cap. 12.

Ego, niſi qvod conſvetudo obtinuerit, ſic ſcribendum qvidqve judico, qvomodo ſonat. Hic enim eſt uſus literarum, ut cuſtodiant voces, & velut depoſitum reddant legentibus.

HAFNIÆ
Impreßit Iohannes Stockelmannus.

.1592.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

THESIS.

I.

ORationi Eruditæ & Latinæ accidit, ut interdum ſcribatur.

II.

Scriptio autem, partim ex certa qvadam & immota mentis ratione deducitur: partim conſvetudine tantum nititur.

III.

Nam (ut rem paulò altius repetamus) cùm Deus opt. max. pro ſingulari ſua erga genus humanum φιλοστοργίᾳ, præcipuarum rerum inde uſqve ab initio mundi geſtarum memoriam conſervari vellet, ut in iis & juſticiæ & miſericordiæ divinæ indicia atq; exempla ſemper conſpicerentur: Cúmq; gratam de ſe famam in artibus multiplicibus ſparſam, propagari & illuſtrari vellet: & homines inter ſe mutuò variarum rerum communicatione devincire, certam & immotam ſcribendi rationem ipſis patefecit, qvam Plato in Philebo breviter qvidem, ſed luculenter indicat.

IIII.

Ita ſcilicet, vt homines ingenioſi in oratione primùm voces articulatas conſideraverint: deinde qvamlibet vocem in partes qvàm minimas accurata attentione diviſerint: partium diverſitates animo notaverint, & certis characteribus, ſed interſe diſſimilibus, tandem ſignaverint, qvorum poſtea compoſitione, qvamlibet

oratio-

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
B.R.II.
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

orationem ſcribere, qvæ ab alio ejuſdem artificii gnaro, legi poſſet, non erat difficile.

V.

Igitur non mirum eſt, literarum diverſas in aliis atq; aliis lingvis figuras eſſe. Nam qvemadmodum omnium lingvarum non eædem dictiones ſunt, dictionum non iidem ſoni: ita etiam figuras diverſas, qvibus ſonorum diverſitas oſtenderetur, invenire oportuit: & ſi in aliqva lingva inventæ nondum ſunt, inveniri omnino & conſvetudine atq; uſu communi approbari debent.

VI.

Qvin & hoc ſeqvitur, In omnibus lingvis rectum eſſe, ut ſic ſcribatur, qvemadmodum homines loqvuntur: Et perperam facere eos, qvi qvaſdam literas pingunt, qvas in oratione non proferunt, qvod tamen in ſua lingva communiter faciunt Galli, Scoti & Angli.

VII.

Proinde & in lingva latina rectum erit, qvodq; ita ſcribere, ut ſonat, vel ut latinè loqvendo profertur.

VIII.

Verùm qvoniam genuinus ſonus literarum latinarum, vnà cum pronunciatione latina jam periit, ut ejus vix qvædam reliqviæ in ipſa Italia putentur ſupereſſe, poſt plurimas ſcilicet ejus vaſtationes, & in eandem barbarorum infuſiones: gensq; latina jam tantum in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

libris muta habitat, permagna hoc loco difficultas oritur, ut indicari non poßit, qvaliſnam latinorum genuina olim pronunciatio fuerit.

IX.

In qvibuſdam tamen manifeſtam corruptionem obſervarunt homines docti: aliam qvidem pluribus gentibus communem: aliam autem aliis peculiarem.

X.

Commune pluribus eſt, vt C ante E, vel I qvaſi cum ſibilo qvodam pronuncient, ſimilitérq; T ante I. Cùm tamen conſentaneum ſit, has literas non aliter ſonare aut pronunciandas eſſe ante E vel I, qvam ante A, O, V. Commune item pluribus eſt, diphthongos Æ & OE, tanqvam monophthongos pronunciare, & literas qvaſdam aſpiratas ita proferre, ut aſpiratio nulla audiatur.

XI.

Aliis atq; aliis nationibus alia atq; alia in pronunciatione latinâ, vicia peculiaria ſunt. In tanta tamen diverſitate, Italos ad priſcorum latinorum pronunciationem proximè accedere conſentaneum eſt.

XII.

Proinde cum dicimus, qvodq; ſcribendum eſſe in lingva latina, ut ſonat & pronunciatur, ad rectum ſonum pronunciationémq; reſpiciendum & vicia cavenda eſſent.

XIII.

Poſſunt autem vicia in ſcriptione facilius, qvam in locutione caveri: nam in locutione neceſſe eſt, vt balbutiamus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

tiamus cum balbis, niſi velimus rideri nec intelligi, cum nihilominus ſcripturam latinis uſitatam, & genuinæ pronunciationis qvodammodo indicem obſervare & imitari conveniat, atq; ita uſum loqvendi populo concedere (non qvidem iſti Romano, ſed hujc noſtro latinobarbaro, qvî cum vivimus & cujus pars una ſumus) ſcientiam autem nobis reſervare.

XIIII.

Porrò qvi benè loqvuntur, non tantum voces ſingulas inconditè & confuſè proferunt, ſed etiam id dant operam, ut partes qvælibet ex qvibus vox conſtat diſertè audiantur, & jucunda qvadam varietate temporum & accentuum afficiantur: ut vox à voce, ſenſus à ſenſu, qvadam pauſa diſtingvatur, vtq; πάθη, Exclamationes, Interrogationes, Admirationes, μιμήσεις &c. in orationis contextu, aliqva varietate à communi eiuſdem habitu diſcernantur: ut oratio qvaſi vivum qviddam præ ſe ferre videatur. Ergo etiam rectè ſcripturus, non tantùm laborabit ut juſtis & receptis literarum figuris utatur, ſed etiam ſyllabarum aptam conjunctionem diſjunctionémq; & affectiones alias, diſtinctiones etiam qvaſcunq; diligenter obſervabit, receptóq; modo notabit, ut bonam locutionem, bona ſcriptura qvàm proximè æmuletur.

XV.

Vnde conſtat omnem ſcriptionem quæ ex mentis ratione deducitur, præter literas certum modum reqvirere conjungendi diſjungendiq; ſyllabas dictionum, notandi deniq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

niq; varietates temporum, accentuum, & aliarum diſtinctionum qvarumcunq;.

XVI.

Ita res ipſa rationis eſt, figuræ autem ſive literarum ſive aliarum qvarumcunq; notarum, qvibus in ſcribendo utimur, conſvetudinis ſunt.

XVII.

Ad literas autem qvod attinet, curandum eſt, ut debitâ formâ pingantur, juſto etiam contextu, ſerie & proportione.

XVIII.

Formæ literarum non nimis vetuſtæ erunt & obſoletæ: ſed in majuſculis eæ maximè probandæ ſunt, qvæ in nummis, vel monumentis Romanis tempore Auguſti & præcipuè in Italia inſculptæ ſunt: In minuſculis autem eæ, quæ ad Majuſculas proximè accedunt, & qvibus hodie in Italia communiter vtuntur.

XIX.

In utrisq; cavendum eſt, ne ductibus qvibuſdam & inanibus flexibus nimium laſciuiamus (ut Eraſmi verbis utamur) nam præterqvam qvod bujuſmodi flexus inutiles ſunt, etiam juſtas literarum figuras facilimè immutant.

XX.

In utrisq; etiam cavendum eſt, ut qvemadmodum ſingulæ literæ poteſtate à ſe invicem differunt, ſic etiam figurarum varietate differant: qva in re cùm antiqvi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

tas minus curioſa eſſet, iiſdem figuris I & V pinxerunt, ſive vocales eſſent ſive conſonantes, qvod recentiores utiliter corrigentes, novis figuris differentiam ſtatuêre, ne legentes in errorem abducerentur: I vocalem hac figura, I: conſonantem, tali j: vocalem u *ſic: conſonantem, ſic V, pinxêre.*

XXI.

Qvod autem doctiſſimus vir, jacobus Matthiæ D. piæ memoriæ (qvem tamen honoris cauſa nomino cúiq; & virtutis & Eruditionis eximiæ laudem tribuo) edito ante annos aliqvot de literis libello, ſcriptionem iſtam approbavit, ut j litera duplex inter duas vocales, duplici qvoq; figura ſcriberetur, id nec ratione certa nititur, nec conſvetudine.

XXII.

Nam Priſcianus non magis accuratè agit, cùm hanc rem tradit, qvàm cum vocativum Pompej, à Nominativo Pompejus ita deducit, qvemadmodum vocativum Saluſti, à Nominativo Saluſtius. j inter duas vocales duplex eſt. At non eadem ratio duplicium eſt, qvæ geminatarum, nam duplices, poteſtate, non figura ſunt duplices, igitur non magis decet ſcribere Majjor, *duplici jj, qvàm* axxis, *duplici xx.* Qvanqvam *(inqvit Iul. Cæſ. Scal. de litera X)* eſt duplex vi, figura tamen vna eſt & indiviſibilis, qvemadmodum ſupra diximus, alioqvi non eſſet Elementum.

Qvod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

XXIII.

Qvod autem alii dicunt, qvibuſdam & in his etjam Ciceroni placuiſſe, Majja, ajjo, &c. *geminata jj ſcribi, id non ſcio qvàm verum ſit, cùm nuſqvam talem antiqvam ſcriptionem uſitatam fuiſſe videamus: Et ut maximè uſitata qvibuſdam fuerit: tamen conſvetudo, qvæ ſcriptionem commendat, non eſt unius hominis vel qvorundam paucorum arbitrium, ſed eſt conſtans omnium ſeu plurium ſimiliter agentium conſenſus.*

XXIIII.

Sed hoc tamen leviculum eſt, & qvod ſine incommodo retineri poſſet, ſi conſvetudine receptum fuiſſet.

XXV.

Illud autem neqvaqvam, citra manifeſtam lingvæ latinæ corruptionem, concedi poteſt, qvod idem author eodem libro de Diphthongis abolendis tradidit.

XXVI.

Nam Diphthongos & omnis antiqvitas agnovit, & ut naturâ voces qvaſdam in aliis qvibuſdam lingvis edimus, qvæ ſine diphthongo formari non poſſunt, ita conſentaneum eſt & olim hujuſmodi ſonos in lingva latina fuiſſe, nec falſò dictas eſſe diphthongos, qvæ erant monophthongi. Et qvanqvam genuina pronunciatio lingvæ latinæ periit: tamen ſcriptionem, priſtinæ iſtius pronunciationis qvodammodo indicem, ſartam tectamq; ſervare nos decet.

XXVII.

Atq; abolitionem diphthongorum ingens confuſio

ſeqve-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

ſeqveretur, in multarum vocum originibus, caſibus, qvantatibus: Nec au, interjectionem hominis conſternati & qvippiam averſantis, qvæ vel ſola, & ſecundùm Eu, inter diphthongos hodie priſtinum ſonat, poſſemus ſcribere: nam ſi ſcribas av per v conſonantem, audies ſonum af propemodum, ſiqvidem v conſonans ferè ſonat ut f, & tamen ſyllabam nullam finit.

XXVIII.

Sed author deceptus eſt, verbis qvibuſdam Priſciani, particulariter intelligendis, ex qvibus malâ conſeqventiâ univerſalem concluſionem extruit: ut interim taceam, eum, regulas ſeu maximas (ut loqvuntur) ſibi qvaſdam finxiſſe, qvæ ut ipſæ falſæ ſunt, ita in errorem facilimè abducunt: Atq; hæc omnia ſpeciatim oſtendere, hoc loco longum foret: oſtendemus autem, juvante Deo, ubi Domini diſputaturi id à nobis poſtulaverint. jam tantùm monemus juniores, ut diphthongos inde uſq; ab initio obſervatas, etiamnum in ſcriptionibus ſuis obſervent, etiamſi in pronunciatione noſtra hoc tempore depravata, non ritè ſonent.

XXIX.

Porro Contextus literarum reqvirit, ut literæ ſibi invicem convenienter jungantur: Series, ut eodem prorſus ordine diſponantur qvo proferuntur: néve litera literam ſcandat. Proportio autem ſita eſt in partibus figurarum convenientibúſq; prominentiis, qvæ vel ſurſum fiunt vel deorſum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

XXX.

Conjunctiones & diſjunctiones literarum, ad conſtituendas ſyllabas obſervandæ ſunt: nec dubium eſt, qvin conſonantes omnes, qvæ in initio vel fine dictionis ponuntur, à proxima vocali minimè ſejungendæ ſint, in ſcriptione, cùm fortè dictio diſtrahenda eſt: ſiqvidem cum eadem in pronunciatione conjunguntur.

XXXI.

In medio autem dictionis, conſonans ſi unica fuerit, ad ſeqventem vocalem: ſi geminata, prior ad præcedentem vocalem, poſterior ad poſteriorem referenda eſt.

XXXII.

Duæ autem pluréſve diuerſæ conſonantes, in medio dictionis à ſe invicem neqvaqvam diſjungendæ ſunt, qvin ſimul ſyllabam inchoent, ſi in initio conjungi poſſunt.

XXXIII.

Sed in Compoſitis, qvamlibet partem integram ſervandam eſſe cenſemus, vt ab—eo, ab—rado, ob—ruo, qvamvis dicatur, brutus, brevis &c.

XXXIIII.

Herodianum imitatus Iul. Cæſ. Scaliger contrarium vult: ſed ipſius eruditionem ſuſpicimus, judicium autem hac in re non ſeqvimur.

XXXV.

Nam qvod inqvit: Animadvertendum eſt, cùm ex duabus vocibus una fit, non accentuum ſolum, ſed literarum qvoq; exigi cohærentiam: Neq; enim ita pronuncies abactus compoſitum, ut ab—actus diſjuncta, Qvanam igitur pronunciatione efficietur, ut B à

ſeqven-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

ſeqvente vocali ſubtrahatur? *Id facile diluitur: ſiqvidem cohærentia literarum, non eſt literarum confuſio: & componere dictionem, non eſt literas, aut qvæ ex his fiunt, ſyllabas, confundere: ſed qvemadmodum compoſitionis certus modus eſt, ita & diviſionis erit.*

XXXVI.

Porrò qvod inqvit, Adhæc; ſi pituita à petendo vitam ducatur, niſi cohæreat T cum u ſemper ſit v conſonans: at non eſt. Sic in hac voce etiam, duæ eſſent ſyllabæ, Et, jam: Eſt enim conſonans j: ſed prnnunciationis tractus cogit nos elementa conjungere *Ad id reſpondemus: Etymologiam iſtarum vocum incertam eſſe, qvanqvam ſpecimen veri habet ea, qvam Scaliger adfert. Nam conſentaneum eſt multas dictiones, cùm temerè extiterint, ſuáq; origine & primæ & ſimplices ſint, ſpeciem tamen aliqvam cujuſdam derivationis aut compoſitionis præ ſe ferre poſſe, qvemadmodum & vox* Dominus *videtur compoſita à* Do *&* minus, *cùm tamen non ſit. Deinde j & v conſonantibus familiare eſt, facilimè in vocales tranſmutarier, unde hujuſmodi literarum tranſmutatio, compoſitióq; fieri potuit, aurium gratia, ſalvâ tamen generali regula, de partibus dictionum compoſitarum in diſjunctione ſyllabarum ſervandis integris.*

XXXVII.

Poſtremo (inquit Scaliger) eorum regula hæc eſt & vera: Nulla ſyllaba aſpiratione terminatur. Igitur in voce πρωθύστερον &c, quid, comminiſcentur? aut enim in aſpiratam deſinet prima ſyllaba, aut id fiet, qvod, nos cenſemus. *Reſpondemus,* θ *in ſimplici* πρωθον *non*

refertur ad præcedentem vocalem, ergo neq; in compoſi-to referri debuit, ſed potius ad literam, qvæ in locum ab-ſentis o ſubiit, hoc eſt ad υ. Atq; de ſimilibus idem eſt judicium. Sic etiam ſcribitur ʼεις—αγω, qvia ſcilicet σ eſt diphthongi ʼεις, in dictione ſimplici, à qva in compo-ſita diſjungi non poteſt. Et in ʼε—ϖαγω, ϖ accedit ad α qvæ in vicem abſentis jota ſubſtituta eſt, ejuſq; ſibi lo-cum vendicat.

XXXVIII.

Porrò notæ conjunctionis diſjunctioniſq; literarum, conſvetudine receptæ, ubi res dubia eſt, utiliter obſer-vantur. Atq; conjunctionis nota eſt Hyphen, linea pau-lulùm inflexa & ſubſcripta, duas dictiones connectens ut Ante‿malorum. Diſjunctionis autē notæ ſunt duo pun-cta, ſupra literas appoſita, ut in Poëta: vel etiam virgu-la (ut dicitur) ad imam partem literæ adſcripta. Atq; Apoſtrophus præter abſentiam cujuſdam vocalis vel Diphthongi, etiam literarum diſjunctionem indicat.

XXXIX.

Accentuum ratio vera & antiqva hodie cum pro-nunciatione latina, ſublata eſt. Fuit enim accentus mo-dulatio qvædam vocis, nobis prorſus incognita. Siqvi-dem præter temporis moram in noſtra pronunciatione jam vix qvidqvam audias.

XL.

Vtimur tamen accentibus in ſcribendo, tollendæ ambiguitatis cauſâ, cum dictio aliqva iiſdem literis va-

riè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

riè ſignificat, ut, péndere, pendére, vénimus, venímus, habita ut plurimùm qvantitatis ratione.

XLI.

Particula Qve, qvando non eſt copulativa, non eſt Enclitica. Ergo dictio itaq; rationalis, caret tono, ad differentiam Itáq; Compoſ. ab Ita & Qve, ut in illo Plauti, verùm ita animatus fui, itáq; nunc ſum &c. Similiter Qvoq; copulativa, caret tono ad differentiam Quóq; comp: à qvo & que ut in illo Ovidii. Qvoq; minus dubites, hoc eſt: Et ut minus dubites.

XLII.

Porrò ut in ſcriptione, vox à voce, ſenſus à ſenſu aptè diſtingvatur, integra periodus ſenſum integrum abſolvens conſideranda eſt. Ejus ſi membrum unicum tantum fuerit, dicetur periodus μονόκωλος & meris commatis ſpatiisq; vacuis diſtingvitur. Spatia vacua vocem à voce dividunt, commata ſeu Pauſæ tum diſtingvunt cùm qvadam qvaſi reſpiratione opus eſt.

XLIII.

Sin vero Periodi, vel duo, vel plura membra (κῶλα) notari poſſunt, ea duobus punctis, vel unico ad ſuperiorem literæ partem appoſito, deſignantur.

XLIIII.

Poteſt fieri ut Colon aliqvod, iterum in minora, Cola diſtingvatur, túmq; commata non ſufficiunt qvibuſdam, ſed utuntur nota hac;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

XLV.

Faciunt & ad diſtinctionem nota interrogationis ? Nota admirationis & dubitationis ! Literæ majuſculæ in nominibus propriis, nec non characterum diverſitas cum πάθη aliqva orationis inſigniora offeruntur, vel cùm qvædam μιμητικῶς aut τεχνικῶς ponuntur.

XLVI.

Atq; in his omnibus conſvetudo rationi ſervit. Sunt autem qvædam qvæ aliter atq; aliter ſcribuntur, vel qvia homines, olim aliter locuti ſunt, vel qvia corruptâ tandem latini ſermonis genvinâ pronunciatione, certa & perpetua ſcribendi conſvetudo, apud omnes æqvè perdurare non potuit. Hinc multæ dictiones ab aliis atq; aliis, aliter atq; aliter ſcribuntur, interdum cum aſpiratione, interdum ſine aſpiratione: interdum cum diphthongo, interdum ſine diphthongo: aliàs habent literas geminatas, aliàs ſimplices: interdum aliæ literæ pro aliis ponuntur, ut in his interdum conſvetudo (non qvæ ſit totius populi Romani conſenſus, ſed qvædam inconſiderata qvorundam & temeraria libido) rationi imperare aut vim inferre videatur, ut eſt per ſe admodum violenta.

XLVII.

Verùm antiqvam ſcriptionem in Poëtis præcipuè, ut cum Set, aput, haut, erus, onor, &c. pro ſed, apud haud, herus honor legitur, notandam non imitandam cenſemus. Sicuti enim loqvebantur, ita ſcribebant; poſtmodum locutione mutatá, & ſcriptio mutata eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

XLVIII.

Reliqvas varietates, partim certis regulis, partim collatione bonorum authorum, lapidum & aliorum monumentorum Romanorum tollendas judicamus.

XLIX.

Regulæ tales ſunto. 1. Compoſita & Derivata qvàm proximè ad primitivorum & ſimplicium literaturam accedere oportere. 2. Y & Z tantum locum habere in dictionibus origine ſua Græcis. 3. Z ante aliam conſonantem, in eadem Syllaba non poni; qvanqvam apud Plinium legitur Zmilaces, gemmæ nomen. 4. Syllabam nullam aſpiratione finiri.

L.

Porrò in librorum atq; lapidum collatione, retinendum & probandum eſt, qvod in plerisq; ſimiliter invenitur. Nam conſentaneum eſt, & qvoſdam libros corruptos eſſe, & lapides etiam barbaros inveniri: Cúmq; paucis concedatur hujuſmodi librorum lapidúmq; vel inſpectio vel collatio, utile fuerit Aldi Manutii de Orthographia libellum evoluere, in qvo multarum dictionum ſcriptionem, partim habita veræ Etymologiæ ratione, partim obſervata antiqva conſvetudine, in libris, lapidibus, nummis, & aliis monumentis Romanis emendavit. Qvin & Iohannis joviani Pontani de Aſpiratione libri duo, omnium aſpiratarum dictionum varietatem tollunt, ut interim de aliorum doctiſſimorum virorum doctiſſimis ſcriptis, nihil dicam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

LI.

Porro ſcripturæ abbreviationes qvædam olim uſitatæ fuerunt, et notæ qvædam numerorum, menſurarum, ponderum, qvarum maximam partem Valerius Probus libello qvodam de hac re edito, indicat & qvas propter antiqvam conſvetudinem obſervare nos decet.

LII.

Novas autem qvaſdam excogitare, tanto minus licet, qvanto utilius eſſet, antiqvas iſtas nunqvam receptas fuiſſe. Nam cùm ratio nulla generalis ejus rei eſſe poßit, ſæpenumero lectionem ambiguam reddunt, ſive unicâ eâq; primâ dictionis literâ fiant, ſive pluribus, ſive deniq; virgulis aut notulis qvibuſcunq;.

LIII.

Sed tamen Arithmeticis numerorum notas neceſſarias eſſe fatemur, ſive eæ per literas fiant, ſive per alios characteres: Qvæ qvanqvam per conſvetudinem & uſum probantur & commendantur, tamen ad generalem rectè ſcribendi rationem minùs pertinent.

Atq; Orthographia Orationis Eruditæ & Latinæ, ex certa mentis ratione & conſvetudine latinorum deducta, talis eſt.

Qvæſtio.

Vtrum ſit rectius, ſcribere a dextra ſiniſtrorſum, ut faciunt Hebræi: an vero a ſiniſtra dextrorſum, ut faciunt Latini & alii?

Deo Laus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1543 4°